



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,  
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1678**

Iudicium duodecim Magistrorum in theologia & in Decretis de ijsdem  
articulis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14688**

*In codice veteri hæc quæ sequuntur adjecta  
erant post judicium Magistrorum  
suprà descriptum.*

Vide suprà  
pag. 256. &  
infra pag.  
294.

**Q**UÆRITUR utrum isti articuli infra scripti  
quilibet eorum sint hæretici judicandi.

Primus est dicere & asserere pertinaciter quod  
non est obediendum alicui Prælato præcipienti qui  
busdam professoribus regulæ ordinis beati Francisci  
quod deponant quosdam habitus curtos & strictos  
difformes ab habitu communis aliorum dictæ regu-  
læ professorum, quos assumpserunt per se ipsos,  
& quod nullus mortalium eos potest cogere ad ipsos  
habitus dimitendos, ex eo quod illud quod est con-  
tra observantiam præfatæ regulæ beati Francisci &  
ejus intelligentiam est per consequens contra evan-  
gelium & fidem, & è converso, alias ipsa non esset  
penitus pro regula evangelica. Sed tales habitus im-  
pugnare & eos ad deponendum cogere est contra ve-  
ritatem dictæ regulæ, & per consequens contra  
evangelium & fidem, & est verbo & facto Christi  
evangelium & ejus regulam impugnare, & quod est  
hoc sequeretur destrucción vitæ Christi, & est Chri-  
stum de synagoga ejicere, & quod illi qui proce-  
dunt contra fratres portantes dictos habitus curtos  
& strictos sunt in errore contra veritatem evan-  
gelicæ regulæ, & per consequens contra veritatem  
evangelii & fidei.

Secundus aggravans & consentiens ad primum  
est quod Dominus Papa non habuit nec haber-  
quandam potestatem nec auctoritatem faciendo  
constitutionem quam de consilio Cardinalium fecit,  
quæ incipit. *Quorundam*, in qua prælatorum dicti

ordinis iudicio commisit determinare & arbitrari  
cujus longitudinis & latitudinis, formæ sive figuræ,  
& similium accidentium debeant esse habitus pro-  
fessorum dictæ regulæ, & cujus quantæque vilitatis  
vestimentis indui ipsos fratres oportet, ac insuper  
determinare, arbitrari, & præcipere quo casu, qua-  
liter, ubi, & quando, & quotiens granum, panem,  
& vinum pro vita fratrum necessariis fratres ipsi  
quærere debeant, conservare, sive reponere; & di-  
strictè præcipiendo mandavit quod in prædictis &  
his similibus eorundem prælatorum arbitrium, de-  
terminationem, sive judicium sequi illisque parere  
per omnia teneantur; & in virtute obedientiæ & sub  
excommunicationis pœna mandavit quod dicti fra-  
tres, qui dictos habitus curtos & strictos assump-  
serant, ad mandatum generalis Ministri dicti ordinis  
deponerent, & aliis secundum ipsius generalis Mi-  
nistri arbitrium sive judicium induerentur, ipsique  
generali in omnibus istis & aliis per omnia secun-  
dum beati Francisci regulam & declarationes editas  
super ea & ad prædictam ordinationem humiliter  
obedirent.

Tertius. Item quod nec Papæ nec prælatis dicti  
ordinis obediendum est in his quæ in præfata consti-  
tutione continentur, ex eo quod prædicta in dicta  
constitutione contenta sunt contra consilium Chri-  
sti & dictam regulam, contra quæ Papa non po-  
test.

Ad quæ dicendum est quod prædicti articuli &  
quilibet eorum sunt hæretici manifestè, cùm repug-  
nent veritati evangelicæ & auctoritati & potestati  
Papæ & Ecclesiæ, & maximè impingunt in illum  
articulum, *sanctam Ecclesiam, sanctorum communio-*  
*nem*, cùm devient à fide quam communiter docet  
& tenet universalis Ecclesia, & falsam & novam  
opinionem inducunt in ipsa fide.

I. Ego frater Vitalis Tituli sancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis & sacræ theologiae Doctor judico & assero omnes supradictos articulos & quemlibet eorum esse hæreticos & damnatas hæreses continere. In cuius rei testimonium manu propria subscripti, & sigillum meum feci appendi.

II. Et ego frater Berengarius de Landorra electus Compostellanus, licet indignus, dico & credo supradictos articulos & quemlibet eorum esse hæreticos & damnatas hæreses continere, & subscribens sigillum meum apposui.

III. Ego frater Guillelmus de Lauduno ordinis fratrum Prædicatorum, sacræ theologiae Magister, & Lector sacri palatii, licet indignus, assero dictos articulos & quemlibet eorum esse hæreticos, judico & affirmo. In cuius rei testimonium manu propria me hic subscripti, & sigillum meum presentibus feci appendi.

IV. Ego frater Deodarus Castrensis Episcopus, sacræ theologiae professor, idem dico quod frater Guillelmus de Lauduno immediatè præscriptus. In cuius rei testimonium facio sigillum meum presentibus appendi.

V. Ego frater Raymundus Episcopus sancti Flori & Decretorum Doctor credo & dico superscriptos articulos & eorum quemlibet esse hæreticos, & pertinaces assertores eorum fore sicut hæreticos condemnandos. In cuius rei testimonium sigillum meum feci præsenti scripturæ appendi, & eidem subscripti.

VI. Ego frater Guido Terreni ordinis fratrum beatæ Mariæ de Carmelo, sacræ theologiae Doctor, considerans declaracionem & præceptum Domini Papæ quod fratres Minores debeat suis superioribus, immo sibi & suis statutis super hoc obedire, cum non declaraverit nec præceperit nisi licitum,

oppositum, scilicet non obedire, illicitum, dicere autem illicitum, scilicet non obedire, esse licitum, est hæreticum. quod dicunt prædicti articuli, & eorum quilibet. Ideo judico prædictos articulos & eorum quemlibet esse hæreticos. In cuius rei testimonium manu propria hic subscripsi, & sigillum proprium feci præsentibus appendi.

VII. Ego frater Henricus Episcopus Lucanus, in sacra pagina Bacallarius, credo & affirmo prædicta & prædictos articulos & quemlibet eorum, prout superius expressi sunt, esse hæreticos, Ecclesiam Romanam limitantes & destruentes, & falsa & nova contra eam & ejus plenitudinem de novo inducentes. In cuius rei testimonium me subscripsi manu propria, & sigillum meum feci præsentibus appendi.

VIII. Ego frater Michaël de Cæsena ordinis Minorum, sacræ theologiæ professor, judico & assero prædictos articulos & quemlibet eorum esse hæreticos. In cuius rei testimonium manu mea propria hic subscripsi, & præsentibus sigillum meum proprium feci appendi.

IX. Ego frater Arnaldus Royardi sacræ theologiae Magister prædictos articulos & quemlibet eorum judico & assero hæreticos esse, tamquam falsos, & novos in fide catholica, & veritati evangelice adversantes. In cuius rei testimonium sigillum meum præsentibus feci appendi, & manu mea subscripsi.

X. Ego frater Durandus Episcopus Aniciensis & Doctor sacræ theologiæ judico omnes superscriptos articulos & quemlibet eorum esse hæreticos. In cuius rei testimonium me manu propria subscripsi, & sigillum meum feci apponi.

XI. Et Ego frater Laurentius sacræ theologiæ professor prædictos articulos, cùm impingant in

auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ immediatè à Christo fundata est, & in potestatem summi Pontificis, & quemlibet eorum esse hæreticos. In cuius rei testimonium sigillum meum apposui, & manu mea propria subscripsi.

XII. Ego frater Iacobus Abbas Pontiniaci, sacræ theologiæ professor, dico & assero prædictos articulos, prout proponuntur, esse falsos, improbables, & superstitiones, & contradicentes vita Christi & evangelicæ veritati, ac auctoritati, unitati, at plenitudini potestatis summi Pontificis, à quo statuta quæcunque regularia suam trahunt roboris fititatem, & per consequens dictos articulos judico esse hæreticos. In cuius rei testimonium manu mea hoc scripsi, & sigillum nostrum appendi feci.

XIII. Ego Raymundus Massiliensis Episcopus credo & dico suprascriptos articulos & quemlibet eorum esse hæreticos, & pertinaces assertores eorum fore sicut hæreticos condemnandos. In cuius rei testimonium præsenti scripturæ sigillum meum apposui, & subscripsi.

Vide suprà  
pag. 198.

**P**ROPTER prædictos errores fuerunt quatuor fratres ordinis fratrum Minorum in Massilia per fratrem Michaëlem de ordine fratrum Minorum Inquisitorem hæreticæ pravitatis auctoritate apostolica deputatum, cui etiam Dominus Raymundus Massiliensis Episcopus commisit vices suas, iudicari quam hæretici, & relieti curiae & brachio seculari, & combusti sub anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo, tempore paschali, quia noluerunt dictos articulos seu errores abjurare, & nonnulli alii ejusdem ordinis, qui prædictos errores abjuraverunt, fuerunt ad pœnam carceris condemnati, ex quibus aliqui postmodum infra an-

num,